



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Clarissimi Viri Henr. Zoesii Amersfortii, In Academia
Lovaniensi I. V. D. Et Antecessoris Commentarius In Jus
Canonicum Universum, Sive Ad Decretales Epistolas
Gregorii IX. P. M.**

Zoesius, Hendrik

Coloniae Agrippinae, 1691

Titulus XXXVI. De Religiosis Domibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62329](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62329)

clausuram in posterum omnes adstringit. Trident. verò d. Sess. 25. de Regul. c. 1. tantum velle ut clausura, ubi violata fuerit, diligenter restitueretur, ubi in violata, conservetur, ut possit videri, ubi Regula non habet clausuram, non posse ad eam cogi Moniales. Verum Constitutio Pii Quinti, incip. Circa Pastoralis, & Gregorii XIII. incip. Deo sacrus, omnino mandant clausuram, etiamsi Regula eam non præcipiat: quæ duæ Constitutiones ligant, ubi usu sunt receptæ & optimum foret eas reipi, ut evitentur pericula. Vide Franc. Zypæum, in *Analyfi Juris Pont. novi de Regularib. n. 41.*

Ut autem monastica disciplina melius conservetur, instituenda tertio quoque anno Consilia Provincialia, quibus collapsa reformentur, peccata corrigantur, c. 7. & 8. h. t. ubi edocetur, quo modo, ubi, quanto tempore Consilia sunt celebranda.

11 Sæculares ad præbendas in Monasteriis non sunt admittendi, ne per eos contingat destrui Regulam, c. ult. in fine h. t.

TITULUS XXXVI.

De Religiosis Domibus.

SUMMARIUM.

- 1. Religiosa Domus qua dicantur.
- 2. Earum visitatio & reformatio spectat ad Episcopum.
- 3. Religio nova nisi auctoritate Pont. induci non potest.

1 Religiosa Domus nomine veniunt quælibet loca pia & Monasteria c. fin. h. t. quæ singula jubentur habere suum Superiorem. Unus pluribus præsidere, aut in pluribus Monachum agere prohibetur. Proprie Religiosæ Domus dicuntur Xenodochia, Nosocomia, & similia. Quæ ordinanda, visitanda, reformanda ex Regularibus, non etiam ex Sæcularibus, nisi in illorum def. c. 7. h. t. idque per Episcopum loci (nisi sint exempti:) quibus ab eodem & administrator præficiendus, qui fructus in usus destinatos convertat; aut, si convertere nequeat, in alios vicinos convertet, reddetque rationem suæ administrationis Ordinario. Trid. d. loco c.

8. Ad quarum rationum redditionem Ordinario faciendam non videntur teneri Monasteriorum Prælati, cum de iis non loquatur dictum Concilium.

Religionem novam nemo nisi auctoritate Pontificis inducit, ne ex Religionum diversitate oriatur confusio, c. fin. h. t. Clem. 2. eod. Ad eod. ut, si contingat aliquos Religionem non approbatam profiteri, eidem non obligentur, c. 1. eod. in 6.

TITULUS XXXVII.

De Capellis Monachorum.

SUMMARIUM.

- 1. Capelle quid, & unde dicta.
- 2. Capellis qui præficiendi.

Capellas Monachorum aliqui dictas putant, quod populum capiant, quasi capientes *καπν*, id est populum, composito ex Græco & Latino nomine. Verus derivatur ista dictio à *Cappa*, quæ tegumen significat, quod veluti tentorium factum secum vehere soliti Francorum Reges, quando erant in expeditione.

Harum nomine venit etiam Parochia & Prioratus, c. 1. & 3. h. t. quibus, qui subsunt Monasteriis, præficiendi potius sæculares, quam Monachi, cum difficile sit sæcularibus deserviendo in monastica Regula persistere, can. Nemo xvi. q. 1. Monachi, si iis fuerint præfecti, revocandi sunt, aut socius iis adjungendus, si aliud non habeat privilegium Apostolicum faciens mentionem Concilii Lateranensis.

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatus.

SUMMARIUM.

- 1. Jus patronatus aliud civile, aliud Ecclesiasticum.
- 2. Jus patronatus quid?